

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Lucas Bacmeister Johann Vatkius

**Ztma. An liceat in Scholis Christianorum disputationes de rebus Theologicis seu  
fidei dogmatibus instituere, & de earundem Forma & Modo**

Rostochii: Myliandri, 1604

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756518911>

Druck Freier  Zugang



L. Bacmeister.  
R. u. theol. 1604.

11



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn756518911/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756518911/phys_0002)

DFG



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn756518911/phys\\_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756518911/phys_0003)

**DFG**



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn756518911/phys\\_0004](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756518911/phys_0004)

**DFG**

# Z H T H M A.

An liceat in Scholis Christianorum  
disputationes de rebus Theologicis  
seu fidei dogmatibus instituere,  
Et de earundem Forma  
Et Modo.

Quod

DIVINA ADIVVANTE GRATIA  
Anniversarij exercitij loco in scho-  
lis Theologicis Academiæ Rosto-  
chianæ vniuersitatem pro-

ponit

Præses

M. LVCAS BACMEISTERVS L. F.  
S. Theologia Professor publicus.

Respondente

IOHANNE VATKIO Pomerano.

Ad diem 12. Maij Horis matutinis in Au-  
ditorio Magno.

llo  
the  
com  
chiens



ROSTOCHII



Typus Stephanii Mytanari. Anno 1604

REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO

D N. C A R O L O

Administratori Episcopatus Ratzeburgen-  
sis, Ducis Megapolitano, Principi Vandalorum, Co-  
mici Sverinensi, Rostochij & Stargardix Do-  
mino, Domino suo clementissimo.

**C**um nullares Princeps Reu. & Illvstrissime, Domine clementissime,  
Academiarum incremento ita subserviat, atq; docentium indu-  
stria & fidelitas; visa quo h[ab]eas faire nostrae huic scolae, post tristem  
ex metu pestis, qua nuper affligebamur dissipationem restaurandæ,  
non parum profuturi. Ideoq; non tantum de lectionibus deinceps assidue  
seduloq; habendis, sed & de restituendis Anniversariorum disputationum ex-  
ercitijs gr[ati]ter diligenterq; in senata Academico deliberatum esse intelligo.  
Cumq; ut ego hujus non minus utilissimi quam laudissimi decrei initium  
disputando facerem ijs suberent, quorū ego nec auctoritatē aspernari,  
nec voluntati resistere honestè possum: morem quoq; ijs libenter gesi: ac  
præsentem hanc quæstionem discutiendam proponere, hec quidem tempore  
volui: subiecturus oīr j̄cō intervallo. non longo disputationes alias, &  
eas quidem illo ordine, quem lectio publica locorum Communium Theologio-  
rum mihi ostendet.

Hac vero muneric mei scholastici primitias ad R. & Ill. Tuam Cels.  
Princeps clementissime, mittere volui: cum ut statum Academiae sua illa  
hinc cognosceret: tum ut me meā studia devotione humillima eidem  
commendarem, Nec dubito quin R. & Ill. T. Cels. pro sua in Deum pietate,  
in scholas & Ecclesias clementissima voluntate, hoc quoq; subiectissimi a-  
numi judicium, à me servo humiliò sit suscepura clementissimè. Ita ego  
vici sim nunquam cessabo Deum regare, ut is R. & Ill. Tuam Cels in dif-  
ficii hoc gubernationis onere, Salomonis sapientiā, Sethi annis, Abrahami  
felicitate indus ornet augeatq; cumulatissimè. Perscriptum Rostochij  
Anno 1604.

R. & Illist. Tuæ Cels.

Subiectissimus

M. LVCAS BACMEISTERVS.



Quæstio, Vtrum liceat in Christiano-  
rum scholis disputationes de fidei do-  
gmatibus instituere.

THEISIS I.



Voniam divini spiritus adjuvante gratiâ propo-  
situm nobis est ad servatoris Christi gloriam, &  
nostram institutionem, lectioni locorum communium  
Theologicorum, disputationes publicas juxta seriem  
capitum doctrinae Christianae adjungere; atq. sic no-  
strum quoq; talentum ad communem Ecclesie adifi-  
cationem conferre: opera pretium visum fuit, q̄t̄p̄ hoc prodomi  
loco discutendum proponere; An liceat in scholis Christiano-  
rum disputationes cum privatum tūm publicè de rebus  
Theologicis instituere.

I I.

Eccsi autem Ecclesia omnium temporum praxis, & scholarum be-  
nē constitutarum consuetudo, litem dirimere videatur: tamen non a-  
lienum ab instituto nostro esse videtur, à quæstione hac nec ignobili nec  
inutili, oūt̄p̄ se v̄ Theologicarum facere, auspicium: idq; maximè,  
cum nec olim defuerint, nec etiamnum hodiè defent, iniqui talium pro-  
gymnasmatum scholasticorum censores & judices.

I I I.

De Licinio namq; Tyranno Eusebius scriptum reliquit, quod le-  
gem sanxerit. Ne episcopi inter se de rebus suis comuni-  
carent, neve conventus aut deliberationes instituerent:  
deque rebus utilibus consultarent ac dispicerent.

lib. i. de  
Vita Com-  
stantini.

A 2

Repe-

I V.

Duro de Reperiunt & hodiè non nemo qui Principi Christiano consulens  
Paſch. aul dum precipit, Ne frequentes disputationes publicas in reli-  
Polit. A. gionis negocio à Theologis institui permittat.  
phot. 289

V.

Permuli in ore habent etiū illud: Quod nimium alecendo  
& disputando, Veritas iacturam non minimam patiatur: ideoq; con-  
tentiones orthodoxorum Ecclesie doctorum cum ergo didacticis,  
veluti Homericanam pugnam ranarum cum muribus saltè irruunt.

V I.

Nos ergo quid de hac quæſtione statuendum sit, veritatis inqui-  
rende gratia dñi Beatejxw dispiciemus: ac nostram ſententiam ita  
proponemus, ut priuaten ſcriptura testimonij ac deinde Christi, Apo-  
ſtolorum, & perpetuo purioris Ecclesie exemplo iſtendamus, non can-  
cum licetum eſſe de rebus Theologicis diſputare, ſed id etiam ſumme eſſe  
necessarium & uile. Secundo de Materia, Forma ſeu modo diſputacio-  
num piarum legi imo, deq; earundem Regula & Norma dicemus.

## DE PRIMO.

V I I.

Ne verò ulla lectorem detineat terminorum ambiguitas vel ob-  
ſcuritas, eorum genuinum ſenſum primum in veſtigandum cenſemus.

V I I I.

Diſputationem igitur, de qua hic agimus, Vocamus placidam  
legi: imamq; ſententiarum collationem, ex ſc: ipſura inter duas partes,  
non tam indagande veritatis, (qua una & ſimplex eſt) quam ei: uide  
conſirmande & illuſtrande gratia iſtuc: am: adhibito cum in-  
ſtrumento dialeſtico, cum & quidem potiſſimum S. ſcripura linea &  
amuſi.

I X.

Res verò Theologicas an ſub collationis huiusmodi incedem  
revoſcare liceat, cum querimus; intelligimus hoc termino, cum do-  
gma fidei ſeu capita doctrine Christiana, & quæſtiones ex ipſa ſcri-  
ptura

ptura deponetas, & eas quidem controversas, sed tamen cognitione dignas, hoc est. quarum cognitio ad recte sentendum vel bene vivendum utilis est, & quas pro ratione temporis & Ecclesiae statu scire expedit; cum ipsa scriptura testimonia seu sententias, quas corda Scripturarum Cyrillus appellat.

X.

De his ergo personas idoneas in sebolis pie recteque inter se conferre posse & debere putamus.

X I.

Affirmativa hujus veritas hat ratione nimirum. Quicquid 1. nec à scriptura sacra, 2. nec à Christi 3. nec ab Apostolorum. 4. nec à perpetuo purioris Ecclesiae praxi alienum est. 5. cuius item usus cum pernecessarius, 6. tum summè utilis est: id pie recteque fieri potest. Disputationes de rebus sacris, nec scripturæ testimonijs, nec Christi, nec Apostolorum, nec Ecclesiae purioris exemplis adversantur: sed summopere hoc quidem tempore cum necessariæ tum utiles sunt. Ergo pie recteque institui possunt.

X I I.

Habet autem hæc demonstratio pœtra ordine sex, quæ quomodo singula seorsim pro nostra militent affirmativa, jam altius paulò dispendendum fuerit.

X I I I.

Scripturæ ergo testimoniaz quid attinet: referri hoc non incommode illa possunt, quæ boni Episcopi & Ecclesiae doctoris munus & officium describunt. Hoc enim non tantum in constituenda & tractanda thesi, seu vera et salutari doctrina proponenda confitit: sed ejus multo maxima pars in anni hæsi urgenda, hoc est, cum refellendis & confundendis ijs, qui doctrinam cœlestem errorum nebulis involvere, & sparsis impijs dogmatibus simpliciter animos à vera pietate abalienare satagunt: tum instruendis & erudiendis junioribus, quo pacto adversariorum ita excipere & a reverie possint, occupatur.

X I V.

Vtiusq; hujus muneris typum quasi gessisse videtur secundaria

illa urbis Hierosolymorum restauratio, à populo iudaico ex septuaginta capiti vitate Babylonica reduce, sub Acrexerxe instituta.

X V.

Quemadmodum enim populus Dei, templi adificationi intentus, Nhem: urbem muro cingere cupiens, proper frequentes hostium vicinorum incursiones, una manu opus faciebat, altera gladium adversus hostes strictum tenebat: ita ministros & doctores verbi, quibus spiritualis Hierosolyma, Ecclesiæ nimirum adificij cura est commissa, ab una parte adficare convenit, explicando & confirmando doctrinam veritatis; ab altera hostes & lupos gregem Christi invadentes, cedere & profligare, refutando errores & sophismata, & adversariorum insultus gladio spiritus, quod est verbum Dei, avertendo.

4,17.

X V I.

Eph. 6,17 Confirmat hoc dominus ipse sua voce apud Ieremiam cap. I, II. Vbi partes muneric prophetici esse ait, non tantum adificare & planare, sed etiam e vellere, diruere, demoliri, & adversariorum castella verbi divini ad motis arietibus evertere.

X V I I.

Verum ut ad externam & corporalem miliciam vix aptus & idoneus censemur, qui non prius privatim ac domesticis tyrocinij seu præludijs quibusdam corpus ad labores athleticos assuefecerit: ita spiritualis athleta vix unquam pro Christi gloria, & celestis doctrina puritate adversus hostes veritatis pugnabit feliciter, qui non prius domesticis quasi velitationibus ad series pugnas aliquando subeundas, cum secum alios, preparaverit, gladioq; verbi divini ad errores confodiendos recte uti didicerit.

X V I I I.

Huic domini precepto etiam Gentium ille doctor succinuit: Tio Cretensum Episcopo serio accurateq; demandans, ut in recte ritu, constitutis insula istius Ecclesijs, eos cum primis verbi divini eligat ministros, qui non modo possint exhortari per doctrinam sanam, sed etiam τὸν ἀντιλέγοντες ἐλέγχον, concordantes convincere. Tit. I, 9. & obloquentibus os obturaret Ibid. v, 11. Hac vero cum ab

ijs re-

ij: requirantur, progymnasmata sive praexercitamenta simul requiri, ac proinde licita esse colligimus.

X I X.

Quid? quod usum ἐλέγχου verbo Dei à Paulo assignari 2. Tim. 3, 16. verba ibidem nimis manifeste arguunt. Ελέγχον autem nihil aliud est, quam cum adversario congregari, eiusque sententiam falso ostensa, & veritate astricta redarguere; Quod cum nusquam commodius quam in disputationibus fieri possit, manifestum est, his prorsus & absque discrimine sublatis, insigni hoc usū, scripturam aū su nimis temerario privari.

X X.

Nec prætereunda hic putamus ista apostoli ciuedem verba, quibus verbum Dei Gladio comparat, Eph. 6, 17. Quemadmodum enim gladio utimur urgente necessitate cum ad defensionem corporis, cum ad injuriarum propulsionem: ita cum veritatem doctrinæ cœlestis ab hostibus Christi vim pati videmus, Gladio verbi strenue utendum, sedulogia evendum, ne Resp. Christiana detrimenti quicquam patiar.

X X I.

Atq; hoc etiam pertinet id præcepum, quod omnia probare jubemur. I. Thessol. 5, 21. Veritas enim cuiusque sententiae disputationibus crebris trita, probatur & in lucem profereatur; & ut lapidum confitetur ignis, ita inventis argumentis explicatisq; Verum elicetur & exprimitur.

X X II.

Quamobrem & præcipue naturas intelligentes Deus condidit, & normas iudicandi & discernendi verum à falso illis impressis, ut probare possint, quid sit acceptum domino. Ephes. 5, 10. et quomodo à veterioria ad insidiosè fallendum persuita cauere sibi queant. Ephes. 4, 14.

Atq; hactenus scripture testimonia sequuntur exempla.

X X III.

In his primò Christus ipse occurrit, quem non semel sed sepius; non de uno sed permuliis ijsq; præcipuis doctrina Christiana caputibus disputasse legimus.

2.  
E em-  
plis. Chri-  
sti.

Nam

### **X X I V.**

Nam de Legis universæ summa accurate cum Legisperito confert. Luca 10. de causa Divortij eum phariseis Matth. 19. de Electionis cultibus. Matb. 15. De sabbathi observatione Matth. 12. Luca 6. De persona Messie. Matth. 22. 42. De cruce & calamitatisibus Ioh. 9. 2. De resurrectione mortuorum Marti 12. quò pertinet etiam collatio pueri Iesu duodecennis, cum Doctoribus in templo Hierosolymitano. Luca 2. 46. & congressus ille Christi cum diabolo in deserto Matth. 4.

### **X X V.**

Ex quibus omnibus hunc in modum colligimus. Christi actio nostra est institutio. Cum autem Christum collationes desideri articulis instituisse hinc liquido patet; nos quoq; hoc ipsius institutum pre reteq; imitamur.

### **X X VI.**

Secundo laeo apostolorum exempla se offerunt, quos collationes de rebus sacris perspè instituisse, nemini nisi in Novi Testamenti libro planè hospiti, ignotum esse potest.

### **X X V I I.**

In concilio certè primo Hierosolymitano ab ipsis coacto apostolis, ouçyntorū de re longè maxima, nempe de Circumcisionis sacramento, alijsq; ritibus Mosaicis institutam fuisse. Actorum historia cap. 15. 7. testimonio evidenter comprobatur.

### **X X I I X.**

De Paulo scorsim mentio fit, quod confuderit Iudeos, & collatis scripturæ testimonij, demonstraverit Iesum esse Christum. Actor. 9. 22. quod in Atheniensi schola cum Iudeis, Epicureis & Stoicis Philosophis disputaverit. Actor. 17. 17. & 18. Idem eum fecisse Corinthe, Ephesi ac Cesareo coram praeside Romanorum felice, eiusq; conjugi Drusilla, Actor. cap. 18. 4 & 19. 8. & 24. 26 legitur. In quibus locis pleriq; verbo Διαλέξεδες uti Lucam, fontes ipsos consulenti patet: qua voce disputandi & ratiocinandi artem incepsum certum est. Nam ut Augustinus lib. 1. cap. 13. Contra Cresconium ait;

Quid

3.  
Aposto-  
lorum.

Quid est aliud Dialectica (quia vox est à Διαλέξισι)  
quam disputandi peritia?

XXIX.

Nec incepit hic referimus, que de congressu & disputatione cum  
Petro apostolo instituta, ipse Paulus Gal. 2. commemorat.

XXX.

Quid? quod colloquia priorum & aliorum plurima de Religione,  
Scriptura recenseat: Luca 24, 15. Act. 6, 9. & 28, 29 ex quibus ita col-  
ligimur: Si prius privatim de rebus sacris colloqui & conferre possunt &  
debent, idem et publicè iis licet. At prius restantur loca allegata.  
Ergo ex iisdem posterius etiam consequentia non mala elicetur.

XXXI.

Præterea Paulum in suis epistolis ad grauiissimas questiones Theo-  
logicas, vel sponte vel rogatum, modò brevius modò prolixius respon-  
disse, notius est, quam ut in dubium vocari possit.

XXXII.

Vnde inferimus: Si per epistolam cum absencibus de materiis  
Theologicis conferre licet, etiam colloquio & disputatione inter pre-  
sentes de iisdem conferre licet. Antecedentis veritatem thesis proxii-  
mè præcedens comprobat: Ergo & consequens negari non potest.

XXXIII.

Institutum porro hoc nostrū terrī loco Ecclesiæ primi itivæ sta-  
tim post apostolorū tempora praxis confirmat. In ea enim huc  
ipsum quoq; morem conferendi sententia: fuisse obseruarum, exempla dia-  
logismi Iustini Martyrus (qui floruit circa annum Christi 140) cum  
Triphone Iudeo: disputationis Athanasij, cum Ario in concilio Ni-  
cano, anno Christi 313. Collationum Basilij cum Photino in synodo Syr-  
miensi, anno Christi 351. & Augustini cum Fortunato Manuhæo &  
Donatisti, à Notariis exceptiarum: Dunysij uem Alexanderini cum  
Nepote Chilastarum Coriphæo, evinunt.

XXXIV.

Vnde & Augustinus Episc. 119. ad Ianuarium, In veteri Ec-  
clesia, ut prælectiones, ita disputationes quoque de rebus

B. tacris

4:  
Primi-  
tive pu-  
tioris Ec-  
clesie  
praxi.  
Soc Hist.  
Eccl. lib. 2  
cap. 30  
Aug lib. 1.  
Retract.  
cap. 16.  
Tom. 1  
Eusebius  
lib. 7. c.

24°

sacris religiosè & magna cum reverentia haberi solitas,  
testatur.

XXXV.

Ac in Basilio etiamnum juvēne Athenis degente, hoc in primis  
miratur & prædicat Nazianzenus, quod prater ceteros excelluerit  
in ratiocinandi & recte diſerendi scientia. In laudib. Basili.

XXXVI.

Neq; verò nullam planè ob causam, morem hunc in Ecclesiam  
olim introductum, sedulò à maioribus conseruatum, & ad nostra hac  
tempora propagatum fuisse statuendum est.

XXXVII.

Etenim cum juratisimus ille Christiani nominis hostis Diabo-  
lus ipsi succenturata Variorum hereticorum phalanges, nunquam  
non Orthodoxam fidei sinceritatem, jam aperto marte, tam cuniculis  
oppugnare, & omnibus viribus sanctam illam Ecclesiam civitatem sub-  
verttere conat & adhuc conentur: officium prosectoris fidelis Eccle-  
sie doctoris in primis, fuerit, ut non tantum sit defensor fidei, sed  
& debellator erroris, bona doceat, & mala dedoceat. Au-  
gust. lib. 4. de Doctr. Christ. cap. 4.

XXXVIII.

Ergo præter hactenus enumerata, duo adhuc sunt alia, que di-  
spirationum progymnasma nobis commendent. Necessitas nempe  
& Utilitas.

XXXIX.

Necessitatem cum scriptura, eiusq; exempla hue usq; enumera-  
ta, tum Ecclesia status & temporum ostendit conditio.

XL.

Cum enim in ea prob dolor, inciderimus tempora, quibus ut ille  
ait δόξα Εἰάζει τούτην εἰδέσθαι: quibusq; nova subinde hereticorum  
& sectarianorum agmina repullulant: certè eorum quos Deus in specu-  
la Ecclesiae constituit, muneris erit, non tantum de his auditore  
suos præmonere fideliter, sed & juniores ac theologiae candidatos  
nonnunquam in publicum producere, ut auditis arguendorum con-  
trariorum oppositionibus tempestivè iisdem occurrere, & veram scri-  
ptura sententiam contra βεβηλωσαντες, καὶ αὐλαίος ψυχο-  
νύμια γνώσεως astringere & asserere discant.

Qnam

Disputa-  
tionum  
Necessi-

tas

Simoni-  
des.

1 Tim. 6,

20.

2. Tim. 2,

16.

*X L I.*

Quam sanè ad rem si illa res alia utilis est, Disputationum profitò exercitum conducit plurimum. Est enim disputatio, ut Picus aie Cribrum veritatis, que crescentibus disputationibus magis ac magis eruitur, stabilitur, confirmatur: ac in his legitimè instru-  
tis & habitis, uriusq; sententia fundamenta scripturæ lance ponde-  
rantur, falsitas resecatur, & cum suis auctoribus abigitur, veritas per-  
durat & emergit.

*X L I I.*

Hinc recte Augustinus ait: Melius veritas inquire non  
potest, quam interrogando & respondendo lib. 2. soliloquio-  
rum. Nec enim disputatio veritate, sed veritas disputa-  
tione requiritur. Et lib. 2. de doctr. Christi cap. 31. inquit. Di-  
sputationis disciplina ad omnia quæstionum genera, quæ  
in tacris literis penetranda & dissolvenda sunt, plurimum  
valet. Quin de seipso profiteretur, quod disputandi ars ad dissolvenda  
hereticorum sophismata magnus sibi attulerit adjumentum. lib. 3.  
contra Acad. cap. 13. & lib. 1. contra Crescon cap. 14. ait. Qui disputat,  
verum discernit a falso.

*X L I I I.*

Taceo nunc, quod in placida oculis sapè multa verbis explicen-  
tur, quæ vix ita facile scriberentur; & ex mutuo sermone interrogan-  
do & respondendo non pauca elicuntur, quæ rem apertius declarant.  
Habet n. inquit Hieronymus, neicio quid latentis è egyptiis VI-  
va vox; & in aures discipuli de doctoris ore transfulat, for-  
tius sonat.

*X L I V.*

Omitto illam disputationum utilitatem, quod inde quiq; suo se mo-  
dulo pedeq; metiri discat, quid humeriferre valeat, quid ferre recusent.

*X L V.*

Non dicam nunc prolixius, quam misericordia progymnasma a hec  
ingenium accutum iudicium forment & confirment, memoria celerita-  
tem in accipiendis, fiduciam in reperendis aliorum dictis adjuvent.

*X L VI.*

Hoc interim extra omnem dubitationis aleam positum est, ar-  
eium istarum, que rationem & orationem gubernant, notitiam & u-

B 2 sum,

Utilitas.

In prol.  
sup. quest.  
in Gen.

Tom. 3.  
ad Pauli-  
num.

sum. hisce exercitationibus legitimè institutis, mirum in modum crescere; siquidem enitendum in ijs sit, ut oppositiones non ex erario, sed ex rei ipsis de qua agitur medulla perita videantur. utq; ea purè, perspicue, & quantum licet eleganter proponantur: & responsones si opus sit, arguè, modestè: amen regerantur. Nam ut scitè Plato in Thæteto. *ών μη δια λέγεται οὐδὲ πράγμα*. quæ oratione non commodè explicantur, intelligi non possunt.

*XLVII.*

Deniq; horum congressuum haec non postrema est utilitas, quod in ijs ad modestiam, comitatem & affabilitatem in sermone & gestibus, aliasq; virtutes operumq; assuefiant adolescentes. Nam si prava colloquia bonos mores corrumpunt, quid ni poterunt pia colloquia pravos mores vel coribere, vel corriger? Atq; hæc de primo instituti nostri membra dixisse sufficiat. *XLIX.*

**DE SECVNDO.**

Vnde cum disputare licitum esse appareat, non incoherenter porrò queratur, Quibus de rebus & quomodo disputandum sit. Videas enim qui in utroq; hoc capite à censura verbi dirimenti recentes, suo obsequantur genio & ingenio: pro utilibus & necessarijs inepia propoununt, & ex schola discipulorum Christi, forum litigantium faciunt. *XLIX.*

Materiam ergo disputationum Theologicarum quod attinet; ea talis eligatur, quæ Gloriam Dei, ædificationem Ecclesiæ, & Proximi salutem promoteat: ad hos enim fines omnia nostra dirigenda esse scriptura præcipit. 1. Cor. 10, 31. & 33, & cap. 14, 26. 2. Cor. 12, 18. Eph. 4, 12, 1. Thess. 5, 11.

De quibus rebus  
disputan-  
du*m*.

Ac proinde ex scriptura conveniens & idonea materia desumenda est: exemplo Christi, qui colloquetur cum Pharisæis, Discipulis, aut alijs: vel de legis à vīna observatione: Vel Messia persona; aut alio aliquo scriptura capite, disputat; unde & ipse scriptura scrutari jubet Ioh. 5, 39. & Petrus monet, ut qui loquitur, loquatur eloquia Dei. 1. Pet. 4, 11. *Se*

L. I.

Sed nee ipsi scripturæ sacrae libri pro materia ē genere rorū sunt  
inepti. Tales enim disputatio ser vice ad melius imprimendam memo-  
ria scripturam sacram.

L. II.

Nee inutile est de sensu alicuius dicti difficilioris in  
scriptura, Theses ad disputandum proponere, veramq; sententiam  
rationibus cum ex contextu peccatis, cum perpetuo purioris Ecclesie con-  
sensu confirmare.

L. III.

Ut vero de Fidei quoq; confessione, & præcipuis doctrinali bri-  
stiana capitibus, conferendi sit occasio, non abs re esse videtur, vel par-  
tes Catechismi, vel Augustinam confessionem, vel Formulam Christiana  
Concordia thesibus comprehendere, & de ijs disputandi ansam philotheo-  
logis prabere.

L. IV.

De quibus vero abstinendum su questionibus, ea duplicitis viden- De qui-  
tur esse generis. Quædam enim sublimiores sunt, quam nostra  
imbecillitati scrutari convenit; quales sunt in diuinis ea, quas Deus  
nobis occultas esse voluit. Ac de his vitandis monet Salomon Prover.  
25, 27. Scrutator, inquietus, majestatis, opprimetur à gloria. Est  
enim Deus. Magnus, vincens nostram scientiam. Job, 36, 26. Nec  
cogitationes Dei cogitationes nostra sunt. Esaias 55, 8. sed inscrutabi-  
lia sunt eius iudicia, & via eius imper vestigables. Rom. 11, 34.

L. V.

Pauli ergo præceptum hic tenendum. Edico cuivis versanti inter-  
vos, ne sapiat supra quam oportet sapere. Rom. 12, 3. Nam ut Hil-  
iarus inquit. Sol ita videndus est, sicut videri potest, tan-  
toque est excipiens lumine, quanto admittitur: ne ii  
plus velimus in corpore solis spectare, splendor perstrin-  
get oculos, ut etiam amittant, quod videre poterant.

L. VI.

Et elegans hac de re locus extat apud Gregorium Nazian-  
zenum Orat. I. Ad Eunomianum ubi ait. De quibus dispu-  
taendum & quatenus? De his solum, ad quæ humani in-

A 3 genij

genij scies pertingere potest, & quatenus conditio auditoris & facultas potest assequi; ne ut intensor vox auribus, ut alimentum immodicum corpori, ut onera paucis graviora subeuntibus; ut denique terrae crebriores pluviae noceut: ita sane & auditores questionibus alioribus & quasi solidioribus degravati fessi, damni aliquid accipiunt.

LVI.

Non ergo in summa doctrina Christianæ mysteria argutè nimis inquirendum est: sicut nec de ijs fidei articulis qui evidenter certi sunt, & ab omnibus conceduntur, in utramq; partem problematicè disputandum est: ex exercitatione problematicæ Physicis, Logisticis, Politicis, Medicis, Iurisperitis convenienter. Civitas vero Dei Academicam dubitationem tanquam dementiam aversatur August. lib. 19. de Civit: Dei cap. 18.

LVII.

Quædam vero quæstiones Frivola sunt, planeque inutiles, quas nec scire compendium, nec ignorare detrimentum est ullum; ne Arnobius att. lib. 2. adversus gentes. Ut sunt μύθοι καὶ γενέας καὶ θρησκείαι. Fabulæ & genealogiae. 1. Tim. 1, 4. πατρολογία. Vaniiloquium. Ibid. v. 6. θρησκεία. 1. Tim. 6, 4. Prophanæ vocum novitates, & oppositiones falso nominatae scientie. Ibid. v. 20. & 2. Tim. 2, 16. Stultæ & ineruditæ quæstiones. 2. Timoth. 2, 23. De his enim inquit Apostolus, quod potius rixas præbeant quæstiones, quam adiunctionem Dei quæ est in fide. 1. Tim. 1, 4. quod ex ijs nascatur lis, invidia, maledicentia, suspicione malæ. 1. Tim. 6, 4. quod à fide vera seducant homines, Ibid. v. 21. quod nullam adferant utilitatem, sed potius subvertant auditores, impietatem in hominibus excitant, & pugnas gignant. 2. Tim. 2, 14, 16. & 23.

LIX.

Ac quantum ligiosæ disputationes veritati obfuerint, Ariana controversia ostendit, de qua re ita Sozomenus. Quanquam religio Christiana in cœteris omnibus clarebat, tamen disputationes quædam ligiosæ, quæ simulatione scilicet pietatis

pietatis, & veræ Dei cognitionis eliciendæ, res antè minime exagitatas in controversiam rursus deducebant, Ecclæsiæ vehementer perturbarunt. lib. I, Hist. Eccles. cap. 15.

L X

*Et experientia rerum magistra, & Scholasticorum libri testantur, alienis ipsis questionibus ac disputationibus, lucem doctrinae celestis misericordiæ obscuratam, & tantum non extinctam esse.*

L XI.

*Quid enim queso utilitatis ex his & similibus questionibus potuit ad Ecclesiam pervenire, quibus scholasticorum quondam seculum fuit fieri acutissimum. Quid mus rodat, cum panem consecratum rodit? Quo perverterit Christi cibus, quem post resurrectionem comedit? An quis pro Iudee proditoris statua imprudenter caput aperiens, committat peccatum mortale? An Christus fuerit ordinis Prædicatorij vel Franciscani? An si Christus instituisset formam Baptismi in his nominibus Buff/ Baff/ num sit bona forma? An si quis baptizet transponendo syllabas: Egote baptizo in nomine Trispa, pro patris, Lisi pro Filii, & Cisan. Tuspiri, pro spiritu sancti, verus sit baptismus? An hæc propositio, Deus est scarabæus vel cucurbita, sit tam possibilis, quam illa; Deus est homo? Quibus magis quid amabo nugacius!*

L XII.

*Hæc ergo & similia vanaprofana, pie cuius nesciuntur, quam impie sciuntur: sapientius prætereuntur, quam ridiculè quaruntur; consciens omiciuntur, quam temerè definiuntur.*

L XIII.

*Atq; hæc pereinere arbitramur p;ij imperatoris Theodosij interdi-  
ctum in synodo Chalcedonensi de intermissione disputationibus de rebus ad fidem pertinentibus: cuius meminic Sozomenus lib. 7; cap. 6.  
Histor. Eccles.*

L XIV.

*Hactenus de Materia, sequitur de Forma seu Modo quo perageenda est disputatio. Non vero est, ut quisquam à nobis ea hic anno-*

Vide Mu-  
rem exen-  
teratum  
VVilhel-  
mi Holde  
ri.

Et ejus-  
dem Peti-  
torium  
exhorta-  
torium.  
P. 107. &  
118.

Quomo-  
do dispu-  
tanda tandem.

vanda expectare omnia, que ad perfectam disputandi rationem pertinent:  
id enim nec instituti nostri est, multo minus ingenij: & ab alijs id ba-  
tenuis abunde satis est praestitum: sed pauca tantum, & instituti  
nostro accommodata, delibabimus.

### LXV.

Ergo ut legiūmē recteque constituatur disputatio Theologica, pri-  
mō illud Nazianzeni observandum est. ταῦτα δέ τινα μάλιστρα  
χόμπης καὶ λογίας καὶ πεῖσμας τοῦ θεοῦ αποχέδαιον, καὶ εἰς τὸν ἀ-  
ντωνίῳδεν. id est. In enim sermone & negotio optimus ordo postu-  
lat, à Dei invocatione facere initium, & in eadem finire. Hinc Christus  
ipse ait: Petue & dabitur vobis. Matth. 7, 7. Tunc autem  
maxime invocandū est dominus, ut spiritu suo animos afficiat, ser-  
mones dirigat, & corda aperiat, siquidem de re omnium maxima,  
nempe de salute ibi agitur. Quilibet igitur qui disputationibus pīs  
intereſt, ita se comparare debet, quasi ad tribunal Christi sisteretur.  
Nam ut Chrysostomus ait: Disputare sine timore Dei, est  
veritatem subvertere.

### LXVI.

Alerum requisitorum disputationum piarum ad Personas per-  
tinet. Harum duo sunt genera: Disputantes, scilicet Auditores.

### LXVI.

Requisi-  
ta dispu-  
tantium.

A disputationibus sive illi Opponentis sive Respondentis (que nomine & Præsidem intelligimus) munus sustineantur,  
requiriuntur. Primum quidem, ut statum causæ seu controversia recte  
confutant, & intelligant. quemadmodum & Apostolos in concilio  
Hierosolymitano fecisse videmus Actor. 15, 5. & 6. Infeliciter enim  
disparat, immobilitate disputat, sed aerem ferit, qui statum causa non at-  
tendit.

### LXVI.

Quapropter Tertullianus disputationes solebat summam questionis  
certis lineis delineare, & gradum conferre, ne extra rem regari le-  
ceret. Quæ etiam causa est, cur Christiana Concordia auctiores à statu  
controversie articuli cuiusq; declarationem incepérint.

Deinde

### LXIX.

Deinde ad eosdem pertinet, ut linguarum & artium mediocri cognitione sine instrucl: non cibid: axt: sed ad pedes praeceptorum Act. 22, 3.  
instruci: & à pueris sacras literas edocti. 2. Tim. 3.

15.

### LXX.

Nam ut, teste Nazianzeno, Insigniter desipientium hominum est, velle prius docere alios, quam ipsi satis sint edicti: sic quoq; nullo modo ita sunt exercendi juvenes, ut antequam fuga. Apol. de probè cognoverint, quid sit ad salutem credendum, & quanam sint vera doctrina fundamenta: sanam doctrinam falsis & sophisticis argumentis oppugnare aggrediantur.

### LXXI.

At verò inveniuntur, qui ut acuti videantur, undiq; corradunt argumenta, ut in disputationibus, prava dogmata munitant: quin & objecti nes sapè non tantum absurdas & inauditas, sed etiam blasphemias proferre non verentur.

### LXXII.

Rectius his sensit homo Ethnicus, Mala, inquiens, & impia consuetudo est aduersus Deum disputandi, sive serio id fiat, sive simulate. Et cohære tales debebat severissima Lex Dei, quæ ait: Dominus non habebit insontem eum, qui affumperit nomen Domini Dei sui frustra. Cicero  
2. de Nat.  
deor.  
Exod. 20,  
7.

### LXXIII.

Theologia ergo studiis sic instituen di sunt, ut non Sophistæ, sed fideles Evangelij præcones tandem fiant: quin & veritati demonstrata non pertinaciter amplius se opponent: memores præcepti longè velissimi: in Theologica palastra id solum propositum esse debere, ut Christus vincat, Haereticus cadat. Quis enim disceptandi finis erit, & loquendi modus, si respondendum esse respondentibus semper exstimeremus: inquit præclarè Augustinus lib. 2. de Civitate Dei cap. I.

### LXXIV.

Quarè ut ipsoz qui disputant, in primis commendat Modestia:

C juxta

**Auditio-** juxta illud Chrysostomi: Modestè & humanè disputatio ha-  
rum re- beatur; quam voces non frangant: ita & Auditores utramq;  
quisira. partem attente & benignè audire decet. Nam ut Cyprianus ait:  
De bono Tum demum sermo & ratio salutaris efficaciter discitur,  
patientie, si patienter quod dicitur audiatur.

LXXV.

Porr̄d, cum non liceat in disputationibus μεταξῷ λόγῳ Διαλέξε-  
**Quia For-** ᾱ, ut Plato in Sophista loquuntur; hoc est, uti diffusa & ad decla-  
matione composta oratione, non intempestivè tertio loco queritur,  
dispu- sandum. quā potissimum Formā argumenta in hisce disputationibus Gym-  
nasii proponenda sint.

LXXVI.

**Quia de re** esti accuratè hic disquirere institutum nostrum non pa-  
titur: tamen nihil dissimulantes respondemus. Quamvis utiliter con-  
stitutum in scholis est, ut juvenis argumenta sua syllogistica formis  
inclusa proponat; nec facile admittendum, ut vel à p[ro]p[ter]o d[icit]ur, vel etiam  
planè à v[er]o d[icit]ur: attamen cum vis & iudicium argu-  
mentorum seu probationum, nō propriè à nuda forma syllogistica, sed ab  
ipsa argumenti materia p[re]deat, syllogisticā formā ubiq[ue] semper servari  
nec posse nec debere: maximè si apertis scriptura testimonijs propositū no-  
strum nitatur; frati hae in causa Exemplo Christi, quē in suis cum  
Phariseis colloquitionibus, interdū brevi quaestūcula citra formam  
Syllogisticam negotium quod voluit, expeditum dedisse, & solis  
scripturæ testimonijs ita causam suam evicisse, ut omnes hostium  
conatus in nihilum evanescerent, historia Evangelica veritas compro-  
bat.

LXXVII.

A stipulatur & nobis D. Hieronymus adversus Heluidium  
bunc in modum scribens. Ne in aliquo cavilleris, & te quasi lu-  
bricus anguis evolas, testimoniorum constringendus es  
vinculis, ne dicas te magis argumentationibus tortuosis,  
quam veritate scripturarum superatum. Sunt enim, dicen-  
te Augustino, multæ, quæ appellantur Sophismata, fallax  
conclusiones rationum, & plerumq[ue] ita veras imitantes,  
ut non

ut non solum tardos, sed ingeniosos etiam minus diligenter attentos decipient, de doct. Christ. lib. 2. cap. 31.

LXXXIII.

In quam sententiam & Petrus Damianus Ostiensis Episcopus, reiusfus & elegans scriptor, ad Desiderium Abb. Cassinensem lib. de Omnipot. Dei cap. 5. ait. Hæc plane quæ ex Dialetico-rum vel Rhetorum prodeunt argumentis, non facile divinis aptanda sunt mysterijs: Et quæ ad hoc inventa sunt, ut in syllogismorum instrumenta proficiant, vel clausulas dictiorum, absit ut sacris legibus se pertinaciter inferant, & divinæ virtuti conclusionis suæ necessitates opponant. Quæ tamen artis humanæ peritia, si quando sacris eloquij adhibetur, non debet Magisterij sibimet arrogantiā arripere, sed velut ancilla dominæ, quodam familiaritatis obsequio subvenire, ne si præcedit, obserret: & dum externorum verborum sequitur consequentias, intima virtutis lumen, & rectum veritatis tramitem perdat. Quis enim manifestè non videat, quia si argumentationibus, ut sese verborum ordo habet, fides adhibetur, divina virtus in temporum quibusque momentis impotens ostendatur? haecenus Damianus.

LXXXIX.

Ac nota es ē historia que extat apud Socratem lib. 1. hist. Eccles. cap. 8. Quum enim in synodo Nitana Dialetici homines Dialetice rixarentur, Larius quidam simplici sensu prædictus, eos increpans dixit. Christus & Apostoli nobis non dialecticam artem, nec vanam deceptionem, sed nudam sententiam, quæ Fide & Bonis operibus custodiuntur, tradiderunt. Atq[ue] his verbis virum illum plus quam reliquos arguitis suis ratiocinationibus humanis effecisse, Socrates affirmat. Multum enim adjuvar cor fidele, nosse quid credendum non sit etiam si disputandi facultate id refutare non possit. Augustinus in fine libri de Haeresibus.

Vide etjā  
Ruffi.  
num lib 2  
cap. 3.

LXXX.

Taceo nunc quod repertantur nonnunquam, qui ut cæteris ingeniisiores videantur, omissois materialibus siue rebus ipsis, occasionem hinc arripiante altercandi de syllogismorum formis, de regulis consequentiarium in dialecticis, ut hisce ratiōeis extrahatur tempus, ne ad accuratorem thematis propositi examinationem perveniri queat.

LXXXI.

Comprobavit id suo exemplo A postata Pistorius, qui ut suam in rebus Theologicis inscitiam velo dialektico palliare; eo progressus est impudenter, ut perspicuum Spiritus sancti testimonium. I. Cor. II, 19. non prius vim probationis habere judicaret, quam in syllogismiformam esse redactum; quo sane pronuntiato quid in scripturam sacram, eiusque auctorem spiritum S. scribi die uero potest consumeliosius? Et quam proximè ad hanc impietatem accedat Formatuſ ille Tannerus, acta nuperi Ratisbonensis congresuſ ad oculum ostendunt.

LXXXII.

Quæ tamen in laudatissimæ artis ratiocinandi despectum à nobis dici, nemo existimare debet: Siquidem hoc saltē volumus; in rebus Theologicis non tam rationum pondere, quam scripturarum testimonijs pugnandum; nec plus temporis Thomisticis & Scotisticis dubitatibus, quam sacris oraculis tribuendum esse: ne, ut cum Nazianzeno loquamus, nostris argutijs & disputandi subtilitate fidem perstringamus. In laudem Hieron.

LXXXIII.

Etenim cum Iurisperiti, ut humanum jus confluant, sine lege aliquid pronunciare erubescant: quanto minus audebit is, qui pietatis studijs haberi vult, absque dirinis testimonijs ea afferere, qua ad salutem eternam pertinent?

Lib. 2. de

peccato-  
um me-

ciliis. c. 36.

Ergo ut præclarè Augustinus ait: Vbi de rebus obscurissimis di putatur, non ad uantibus divinarum scripturarum certis clarisque documentis, cohibere se debet humana præ-

LXXXIV.

nā prāsumptio. Et Chrysostomus Volentes firmitatem accipere rei veræ, ad NULLAM rōm fugiant, nisi ad sacras scripturas: alioqui si ad alia respexerint, scandalizabuntur & peribunt.

LXXXV.

Vnde jam parens & illud, quæ debet esse Disputationum piarum ex legitimarum norma & Regula: Sola nempe scriptura Norma scriptura sacra. Hac enim sola est cū tāmis &c: & ut materiam & principia disputationis. disputandi suppeditat, ita etiam norma & regula loco, ad quam omnia dogmata fidei examinanda sint, merito habetur.

2019.005.10100 LXXXVI.

Hinc Dominus ipse nos ad eam ablegat. Esa. 8,20. Ad legem & ad testimonium. & Luca 16, 29. Christus ait. Habent Mōsen & Prophetas, audiant illos. Et Paulus Gal. 6, 16. quoque secundum bunc Canonem incedunt, Pax super illos &c. Idem per tria Sabbathia ex scripturis differuit. Acto. 17, 2. & Apollo rebemenier Iudeos revincebat, ostendens per scripturas, Iesum esse Christum. Act. 18, 28. Quo etiam pertinet Regij Vatis suffragium Ps. 119, 105, ubi scripturam Lucernam nominat; quam Petrus lucere testatur in loco caliginoso, donec dies illucescat. & Lucifer oriatur in cordibus nostris. 2. Pet. 1, 19.

LXXXVII.

Pater idem Berrhōenii exemplo, quos scripturam scrutatos esse Lucas refert, an que Paulus & Silas docerent, ita se haberent. Ad 17, 11.

LXXXVIII.

Quamobrem etiam Electum illud Dei organum Paulus apostolus, 2. Tim. 3 scripturam divinam inspiratam, utilem esse scribit, ad Do- Etinam, ad redargutionem ad correctionem, ad institutionem: Quo certè elogio satis demonstrat, omnem de Deo & rebus fidei do- Et inam & institutionem, minem denique ελεγχον, ad hanc amissim re- velatae scriptura exigi debere.

LXXXIX.

Et nota est optimi ac Christianissimi Imperatoris Constantini Magni hac de re sententia. Sic enim is apud Theodoreum lib. 1. c. 7. patres Nicenii concilij alloquuntur. Evangelici & Apostolici libri,

c. 3.

& Pro-

& Prophetarum oracula perspicue nos docent, quid sit de rebus divinis sentiendū. Deposito igitur contendendi studio, ex sermonibus divinitus inspiratis, sumamus controversiarum solutionem. XC.

Epist. 50.

Vnde & Basilius Magnus quem praelarum orbis errorum lumen  
nare Theoderitus nominat lib. 4. histor. Ecclēs. cap. 15. ait.  
Scriptura divinitus inspirata. Aribiter nobis constituatur,  
& apud quos inventa fuerint dogmata divinis sermonib;  
concordantia, his omnino etiam veritatis suffragium  
accedat. Et in ἀντίληξι idem ille scribit: Oportet audire  
qui sacris literis eruditū sunt, examinare illa quæ à doctori-  
bus dicuntur, & scripturis quidem consona accipere, re-  
pugnantia vero reiijcere. Cui & Augustinus consensens lib. 2.  
cap. 31. contra Cresconium praelare inquit. Non sine causa tam  
salubri vigilantia Canon Ecclesiasticus constitutus est, ad  
quem certi prophetarum & apostolorum libri pertinentes,  
quos omnino judicare non debemus: & secundum quos  
de cæteris literis fidelium vel infidelium liberè judicamus.

XCI.

Et quamvis nullus inveniatur hereticus, qui non ad sui dogma-  
tis defensionem scripturam adducat; recte tamen à Rabiniis quibus-  
dam de sacris literis dictum est. In omni loco in quo invenis  
pro hereticis objectionem, invenis quoq; medicamen-  
tum in latere eius.

XCI I.

Sed nec illud moriamur, quod de obscuritate Scripturæ hic à  
quibusdam regeritur, ut propriea minus idonea sit, ad fidei & di-  
putationis dogmatum & controversiarum normam & regulam constitu-  
endam. Non enim abcondita est veritas in scripturā, sed  
obscura ijs, qui ea inquirere nolunt. Chrysost. in 2. ad Thessal.  
Hom. 44. Et Paulus ait 2. Cor. 4, 3. Si obscurum est Evangelium  
nostrum, ijs qui percunt, obscurum est.

XCI I I.

Qua-

Quapropter recte Augustinus scribit. Magnificè & salubriter  
Spiritus S. ita scripturas sanctas modificavit, ut locis aper-  
tioribus fami occurreret, obscurioribus fastidia detergeret.  
Nihil enim s. r. de illis obscuritatibus eruitur, quod non  
planissimè dictum alibi reperiatur. lib. 2. de doctr. Christ. c. 6.

X C IV.

Gravissimè ergo hallucinantur pontificij, scripturam non vocem. In col.  
Iudicis, sed materiam litis esse contendentes; ac propriea eam ad di-  
judicationem controversiarum ab aliis patrum, conciliorum, ac pontificis  
Romani auxilio, minus certam, firmam ac sufficientem esse statuentes.  
17. s. 3.

X C V.

Cui errori Pauli locum ihes 88. allegatum oponimus. neq; enim  
scriptura perfectū officere Christianū posse, ut quidem apostolus verbis  
clarissimis ibidem enuntiat, si tam effet imperfecta, ut necesse effet de-  
fectum illius aliunde sarcire. X C V I.

Et meminisse pontificios conveniebat gravissimorum Christi ver-  
borum lob. 5. 34. ubi inquit, Ego testimonium ab hominibus non acci-  
pio: & quod lob. 10. 27. dicitur. Oves meæ vocem meam audiunt:  
ac propriea scriptura porius se reverenter submittere, quam eam ad  
pontificum & Ecclesie ficticia judicium flectere & torquere.

X C V I I.

Qua de re gravissimè scribit Hieronymus in cap. 8. Esiae. Hoc  
scire debetis, quod unaquaq; gens consulat Deos propri-  
o. Vobis autem Legem dedit Deus, & testimonia scriptu-  
ratum, quæ si se qui nolueritis, caligo vos opprimet.

X C V I I I.

Sed nec illos recta ad veritatem via incedere arbitramur qui re-  
lito verbo Dei, tanquam unica & certissima omnis disputationis &  
dijudicationis dogmatum regula, ad netcio quam Fidel analogi-  
am, (cerè non illam apostolicam Rom. 12. 6. qua nihil aliud est quam  
harmonia & consensus omnium articulorum religionis Christianæ,) Michael  
Philippus  
Beutherus  
de vera di-  
judicat.  
controversia  
sarium Rel.  
Theorema  
Vt enim c. 24. & 25

**XCI.** Ut enim raceam, quod ne unus quidem Christianus religionis articulus certus & firmus remaneat, si ad rationis humanae normam & regulam exigenda essent sacra dogmata: id quod Creationis ex nihilo opere, Incarnationis mysterio, Resurrectionis mortuorum doctrina, alijsq[ue] innumeris fidei articulis demonstrare non tam operosum quam prolixum foret: certe Paulus isti assertioni è diametro contradicit. I. Cor. 2, 14. hunc in modum scriben: Animalis homo non percipit ea que sicut spiritus Dei, siquidem stultitia est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter dijudicantur: & Rom 3, 8 Φεγύη με τοιούτος inimicitia est ad versus Deum: aperte his verbis innuens, inter verbum Dei & Rationem humanam nullam planè esse ovrem: secus enim si esset articuli doctrina Christiane, non Fidei, sed Rationis, aut certe Rationis & Fidei simul essent dicendi.

C. Itaque ut vela contra hamus, in causa divina, ubi de rebus Fidei & Deo agitur, unicus Deus iudex est, ipsiusq[ue] verbum hominibus proponitur, non ut ipsi de eō judicent, sed ut reverenter se ei subiiciant, & omne intellectus sui acumen sub Christi obsequium capiendum ducant.

2. Cor. 10, 5.

**C.** Deniq[ue] ad Formam disputationum etiam Finis pertinet: qui cum ex superioribus sati jam manifestus sit, concludimus inde; Disputare non tantum licetum & concessum esse, sed etiam in scholis & Ecclesijs perutile esse & necessarium, tantum ibi cavenda est libido rixandi, & puerilis quædam ostentatio decipiendi adversarium: ut graviter Augustinus monet lib. 2. de doct. Christ. cap. 31. sancta, enim sancte sunt tractanda; & semper aurea illa Augustini gnomus spectanda; Tunc eruant disputationes fructuosa, si non ibi considerentur nisi via domini.

Deus pater Domini nostri Iesu Christi, institutum nostrum pium, ad sui nominis gloriam, Ecclesie ædificationem, & proximi salutem dirigat, & mentem ac cor nostrum regat, ut ipsi gratia, & nobis ac multis alijs salutaria, in hoc nostri munere & vita curriculo, dicamus & faciamus.

A M E N.



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn756518911/phys\\_0029](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756518911/phys_0029)

DFG



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn756518911/phys\\_0030](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756518911/phys_0030)

**DFG**



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn756518911/phys\\_0031](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756518911/phys_0031)

**DFG**



Quapropter recte Augustinus scribit. Magnificè & Spiritus S. ita scripturas sanctas modificavit, ut tioribus fami occurreret, obscurioribus fallidia c. Nihil enim serè de illis obscuritatibus eruitur, planissimè dictum alibi reperiatur. lib. 2. de doctrin.

X C. IV.

Gravissimè ergo hallucinantur pontificij, scripturam Iudicis, sed materiam litis esse contendentes ; ac propriejudicationem controversiarum absq; patrum, conciliorum, Romani auxilio, minus certam, firmam ac sufficientem esse.

X C. V.

Cui errori Pauli locum ibi 88. allegatum opponimus scriptura perfectū efficere Christianū posset, ut quidem apoclarissimus ibidem enuntiat, si tam est imperfecta, ut ne fecutum illius aliunde sarcire. X C. VI.


Et meminisse pontificios conveniebat gravissimorum borum lib. 5, 34. ubi inquit, Ego testimonium ab hominib; pio : & quod lib. 10, 27 dicitur. Oves meæ vocem meam ac propriea scripturæ potius se reverenter submittere, quam pontificum & Ecclesia ficticia judicium flectere & torque

X C. VII.

Qua de re gravissimè scribit Hieronymus in cap. 8. scire debetis, quod unaquæq; gens consulat Deo. Vobis autem Legem dedit Deus, & testimoniarum, quæ si sequi nolueritis, caligo vos. oppi

X C. VIII.

Sed nec illos recta ad veritatem via incedere arbitrio verbo Dei, tanquam unica & certissima omnis disputationis dogmatum regula, ad netcio quam Fideam, (cerè non illam apostolicam Rom. 12; 6. quæ nihil aliud harmonia & consensus omnium articulorum religionis configunt & provocant, ac cum denum scripturae judicium ubi inter eam & rationem humanam nulla contradictione.



Michael  
Philippus  
Catherus  
e vera di  
dicat.  
controvers  
arum Rel.  
heorema  
24. & 25